



Quæstionum, Et Resolutionvm Legalium Libri Duo

Quæstionum, Et Resolutionum Legalium Libri Duo - Quorum Prior in duas Partes divisus, continet Resolutiones Beneficiales, Canonicas Et Regulares: Secundus Controversias Civiles determinat

Tonduti, Pierre François de

Lugduni, 1683

Cap. XXIII. Vtrùm jus prælationis competens domino directo, alteri cedi possit, & per cessionarium subcedi: Et pendente lite super jure prælationis, utrùm emphyteuta possidens agere possit pro ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98367](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98367)

sententiam, locum habere duntaxat, quando debitum pro quo facta fuit liberatio, est verum, liquidum & indubitatum; secus si sit dubium, vel turbidum; tunc enim non datur possessori retentio sub prætextu debiti non restituti. *Gratian. d. cap. 7 § 4. num. 13. ubi dicit quod creditum dicitur indubitatum, quando de eo constat per confessionem partis, vel per rem iudicatam, Rot. decis. 409. num. 5. part. 1. recent. Hodiern. ad dictam decis. 46. num. 3.*



CAP V T XXIII.

Verum jus prælationis competens domino directo, alteri cedi, & per cessionarium succedi possit. Et pendente lite super jure prælationis, utrum emphyteuta possidens agere possit pro libertate domus, & exemptione à servitute prætensa per vicinum, qui jure prælationis sibi cello vult uti. Cessio juris prælationis ratione venditionis proxime facientis, quomodo intelligi debeat. Si dominus directus post cessionem juris prælationis, emphyteutam ante denuntiationem cessionarii investiverit, utrum cessionarius excludatur à jure prælationis. Quæ expensæ restituendæ sint per eum qui vult exercere jus prælationis.

S V M M A R I V M.

- 1 *Verum jus prælationis secundum juris communis dispositionem alteri cedi queat.*
- 2 *Ex generali Comitatus Venayssini consuetudine, jus prælationis cedi potest.*
- 3 *Camera Apostolica in Comitatu Venayssino cedit jus prælationis etiam pro prædiis franchis. Intel- lig. que de domino directæ Camere moventur fran. ho modo; nam in merè allodialibus cessat dominium directum, & per consequens retentio feudalis.*
- 4 *In pluribus aliis locis consuetudo viget cedendi jus prælationis dominicale.*
- 5 *In Gallia licet Rex non utatur jure prælationis, illud tamen alteri cedere solet.*
- 6 *Cessionarius domini directi, alteri jus prælationis cedere potest.*
- 7 *Emptor possidens, qui intentavit iudicium pro obturatione fenestrarum, contra vicinum qui jus prælationis obtinuit à Domino directo, (cum apud nos Bulla iuris congrui non observetur) potest iudicium suum continuare, non obstante lite mota super retentione.*
- 8 *Iudicium possessorium competit pro mutatione libertatis naturalis, contra prætendentem servitutem.*
- 9 *Cessio iuris prælationis pro venditione proxime futura sortitur effectum, etiam si post multos annos, & non antea casus eveniat.*
- 10 *Investitus à Domino directo excludit cessionarium iuris prælationis. Limita ut numeris sequentibus.*
- 11 *Dispositio l. quoties, Cod. de rei vendic. locum etiam habet in iuribus incorporalibus, quæ sunt corporalibus annexa.*

- 12 *Dispositio l. quoties, non habet locum quando cessio fuit roborata iuramento & hypothecca bonorum.*
- 13 *Si conductor exegerit laudemium, Dominus excluditur à iure prælationis.*
- 14 *Si conductor qui alium sibi associavit, dederit investituram, associatus excluditur à iure prælationis.*
- 15 *Quamvis dominus directus cesserit ius prælationis, retinet directas actiones; ideo illi laudemium rectè soluitur, nisi intervenierit unum ex requisitis in l. 3. Cod. de novat.*
- 16 *Quomodo consulere sibi debeat cessionarius iuris prælationis, nec præveniat.*
- 17 *Per consensum alienationis præstitum excluditur ius prælationis.*
- 18 *Si duo sint eiusdem rei domini directi, potest unus pro parte sua retinere.*
- 19 *Quid iuris si ageretur de pluribus domunculis unitis.*
- 20 *In casibus in quibus locus est iuri prælationis, dominus aut eius cessionarius debet restituere pretium exbursum, & in quibus casibus agi possit de laudemio restituendo.*
- 21 *Qui ex speciali iure non solvit laudemium, non repetit ad id retractare volentem.*
- 22 *Restitui debent canonici soluti.*
- 23 *Item expensæ instrumentorum.*
- 24 *Deciditur controversia circa expensas proxenitis solutas.*
- 25 *Quid de expensis pactis in subhastatione bonorum.*
- 26 *Restituuntur munera uxori venditoris data.*
- 27 *Item quod dicitur le pot de vin.*
- 28 *Item expensæ pro habendo consilio pro securitate ditionis.*
- 29 *Quid de meliorationibus. Remissivè.*

VARIÆ inter Nobilem quendam emptorem domus, & quendam alium qui à domino directo ejusdem domus obtinuerat sibi cedi jus prælationis super eadem domo competens, propozitæ fuerunt aliæ valde practicabiles controversiæ.

Primo quæsum fuit, utrum obtineri potuerit cessio juris prælationis à domino directo. Secundo, utrum cessionarius juris prælationis, jus suum alteri cedere potuerit. Tertio, utrum emptor, qui intenterat contra vicinum iudicium pro obtinenda obturatione fenestrarum, teneatur à sua actione desistere sub eo prætextu, quod iste vicinus obtinuerat cessionem dicti juris prælationis: & utrum una actio sit alteri præjudicialis. Quarto, quæ jus prælationis cessum fuit cum illa clausula, *pro venditione proxime faciendâ*; utrum illa verba intelligi debeant de venditione faciendâ post aliquot menses, vel annos; non autem de ea quæ facta fuit post longam temporis intervallum, puta post 39. annos. Quinto, utrum emptor domus, qui obtinuit investituram à vero domino directo, sit tutus adversus cessionarium cessionarii juris prælationis. Sexto, stante quod adfuit duo domini directi ejusdem domus, quorum unus investituram concedit, alius recusat; utrum unus admittatur ad retractum feudalem, alio invito. Septimo, quatenus locus esset retractui, ad quas expensas & melioramenta teneretur dominus directus, vel eius cessionarius utens iure retentionis. Quarum quæstionum resolutio ex sequentibus conclusionibus elici poterit.

Prima conclusio: secundum iuris communis dispositionem controversa est quæstio, utrum ius prælationis alteri cedi possit: in qua tamen affirmati- am tenuit Bacquet *des droits de justice, cap. 12. num. 9.* Bouvot

Bouvoit en ses questions notables, tom. 2. in verbo retentionis, quæst. 4. Grivel. decis. Dolana 45. per totam; quam controversiam tractant Guid. Pap. decis. 411. Rolent. de feud. cap. 9. conclus. 42. num. 7. & sequentib. Franc. decis. 226. Amadeus à Ponte quæst. laudem. 13. Cytac. Niger controvers. 254. cujus investigatio nobis non est necessaria, stante consuetudine de qua in sequenti conclusione.

2. Secunda igitur conclusio est, ex generali consuetudine Comitatus Venayssini, dominos directos ius prælationis illis cedere posse, de qua consuetudine Comitatus Venayssini testatur Francisc. Marc. part. 2. dec. 2. ubi idem quoque observari asserit in vicino Auriacensi Principatu. Idem testatur Dominus Ludovic. Bell. concl. 109. n. 3. & nos ita passim observavimus, & observari facimus quoad bona sita intra dictum Comitatum: Nam in civitate Avenionensi & bonis ibi sitis, observandum est Statutum lib. 1. rubric. 62. de jur. emphyteut. artic. 28. cuius hæc sunt verba: Ceterum volumus quod conductores & emptores primi laudimii possint uti retentionis, etiamsi hoc à dominis directis expressè concessum esset.

3. Eadem autem consuetudo cedendi iura retentionis feudalis, dominis directis competenti, locum habet etiam si dominium directum perlineret ad R. Cameram Apostolicam, ut testis est Bertrand. I. C. Carpentoracensis consil. 190. vol. 4. ubi dicit hoc procedere quoad prædia franca, quod intelligendum est de prædiis franchis à censu, suppositis tamen dominio directo Camere, vel alterius domini: nam si essent prædia merè allodialia, & ab omni dominio directo libera, prout plurima sunt in multis locis Comitatus, tunc cessaret ius prælationis feudalis, quod habet necessariam dependentiam à solo dominio directo, & fundatur in l. fin. Cod. de jur. emphyt. ergo ubi non est dominium directum, ibi cessat retentio feudalis.

4. Pluribus etiam in Galliæ locis idem consuetudine introductum est, ut scilicet dominus directus uti possit iure prælationis tam per se, quam per cessionarium: ut in Provincia Provincia refert Claper. causa 100. n. 10. g. 1. & in aliis multis provinciis Charond. lib. 3. respons. 22. & lib. 7. respons. 198. Cod. decis. forens. lib. 4. tit. 22. decis. 11. & licet Rex non soleat uti iure prælationis, illud tamen alteri cedere potest. Maynard. lib. 4. cap. 34. & lib. 8. cap. 20. ubi explicando dictam decisionem 411. Guidonis Papæ, dicit verum esse quod ius prælationis non potest quidem in totum cedi, & omnino abdicari & separari à dominio directo; sed tantum pro illa vice, remanente radicali potestate retrahendi penes dominum directum. Similiter & in Cathalonia ius istud prælationis alteri cedi posse de consuetudine, asserit Cancer. parte 1. variar. resol. cap. 11. num. 49.

6. Tertia conclusio, sicut dominus directus ius suum ex consuetudine prædicta alteri cedere potest, eodem modo cessionarius domini directi, ius istud sibi cessionum alteri concedere potest: probatur, quia ius semel cessum, efficitur perpetuo cessibile, l. pater, §. quindecim, ff. de legat. 3. Ita tenet Claper. dicens ita fuisse iudicatum casu 69. quæst. 3. in fin.

7. Quarta conclusio: emptor domus possidens vigore investitura sibi per verum dominum directum concessa, attento quod prius intentavit iudicium possessorium pro obturatione fenestrarum vicinæ domus, non potest retardari proseguendo iudicium manutentionis in quasi possessione libertatis, adversus vicinum prætendentem ius prælationis sibi cessum, quia quæstio prælationis requirit altioris indaginem; & cum in summarissimo possessionis nudum factum at-

tendatur, interim lite pendente super iure prælationis valde turbido manutenendus est in quasi possessione libertatis: maxime cum vicinus dictas fenestras precario nomine possideret, & si quidem dantur & remedia possessoria pro manutentione libertatis naturalis, adversus prætendentem. Bald. consil. 414. factum tale est, lib. 2. Alexand. consil. 62. n. 10. vers. sic fortisico, lib. 5. Tusch. liter. V. conclus. 64. n. 1.

Quinta conclusio: cessio iuris prælationis pro venditione proximè futura, comprehendit omnem venditionem quæ fiet primo loco, etiamsi fiat post longum temporis intervallum. Proximum enim dicitur id quod nihil habet à quo præcedatur, & quod nullum admittit medium inter duo discreta, ut post Bald. consil. 246. lib. 5. dicit Gratian. discept. forens. cap. 161. num. 10. Barbof. de dictionib. cap. 297. num. 2.

Sexta conclusio, qui à domino directo fuit investitus, & laudemium persolvit eidem, præferri debet cessionario iuris retractus, quamvis ipse cessionarius à domino directo causam habeat. Probatur, quia quoties duobus aliquid conceditur, ille præferendus est qui prius possessionem adeptus est, l. quoties, C. de rei vendic. siquidem ex illa cessione nullum jus in re acquiritur, sed sola actio personalis, aut in omnem eventum sola actio confessoria, quæ nullum jus tribuit; sed solum actionem realem, ad consequendum effectum illius iuris cessi, ut dicit Castren. consil. 335. n. 5. vol. 1. sed sequuta traditione, & investitura veri domini directi, cum reali & actuali immixtione in possessionem, acquiritur jus reale, quod sine dubio actione sola ad prælationem petendam multò potentius est, ut decisum testatur in istis terminis Charond. lib. 3. respons. 6. quia licet l. quoties, C. de rei vendic. videatur tantum procedere in rebus corporalibus. & nihilominus tamen quia iura incorporalia ratione rei corporalis competentia, cum ipsis corporibus possidentur, ideo qui rei venditæ possessionem prior adeptus est, ei qui ius prælationis prius obtinuit præferendus est, ut ultra Charond. loc. cit. decisum refert Pap. lib. 11. tit. 6. arrest. 9. & ibi Adden. lib. 2. cap. 61.

Sed tamen advertendum est, istam rationem elidi posse, si supponamus in contractu cessionis iuris retractus adhibitum fuisse iuramentum, prout solet adhiberi in omnibus contractibus, iuncta bonorum domini directi hypotheca, tunc enim cessat regula dictæ l. quoties, ex traditis per Censum in tract. de censib. q. 68. n. 5. Viv. opinion. 1029. num. 8. in fin.

Quamvis multum facere videatur pro huius rationis confirmatione, quod dicitur de Colono, cui ius exigendi laudemia concessum est, reservatâ domino investiendi & retrahendi facultate; si tamen emptor fuerit diligens in solvendo laudemium colono, vel etiâ usufructuario, ad quem de iure laudemia spectant, dominus directus exclusus remanet iure prælationis, ut docet Ferrer. in nova addit. ad Guid. Pap. decis. 477. quæ additio incipit, sed hanc quæstionem, in fine illius additionis, vers. sed in hac causa.

Item si duo sint socii in conductione, quibus competit ius retractus feudalis; unus autem investituram concesserit, & laudemium receperit, non potest alius socius in dicta conductione uti iure prælationis, ut fuit decisum in Senatu Dolano apud Grivel. decis. 116.

Cæterum, diversa est ratio decisionis huius Dolanæ, cum casu conclusionis nostræ. Ibi enim repellatur socius à iure retentionis, quia is qui laudaverat recipiendo laudemia, vel laudare & investire paratum se dicebat, erat conductor principalis, qui à domino directo immediatè ius & causam habebat: alius verò recusans erat socius, ab ipso conductore deputatus; ideo

ideo potior declarata est illius causa, qui à principali conductore investituram habebat: hæc autem ratio longè abest à casu proposito.

- 15 Vera ergo conclusionis nostræ ratio ex eo petenda est, quod licet Dominus cesserit alteri jus prælationis, adhuc tamen remanent denuntiatio, & intimatio cessionarii juris prælationis, antequam laudimium fuerit solutum domino directo, aut intervenierit unum ex tribus de quibus in l. 3. *Cod. de novat.* solutio facta habenti actiones directas, liberat solventem, & per consequens soluto legitime laudemio, non est amplius de jure prælationis tractandum, salvo regressu cessionario, si aliquod interesse prætendat adversus dominum directum cedentem: & hac ratione
- 16 nititur Ferrer. *ad d. quest. 477. §. 1.* Quamobrem consilium facturum esse reor cessionarium, si diligentem se præbeat, & cessionem suam quando citius emptori denunciari curet, hoc enim facto, non admittetur domini investientis præventio, ut notat *ibidem* Ferrerius.
- 17 Septima conclusio, is cui jus prælationis feudale proprio vel cesso jure competit, ab hoc jure excluditur, si tacite vel expresse alienationi consensum præbeat: ita decidit Faber in *Cod. lib. 4. tit. 42. de iur. emphyt. definit. 49.* Redoan. *de reb. Eccles. non alienand. quest. 79. cap. 9. num. 24.* ubi quod in emphyteuticis scientia domini habetur pro consensu cum taciturnitate, si præsens fuerit alienationi, & non contradixerit; secus si expresse jus suum sibi salvum esse fuerit protestatus. Cald. *de iur. emphyt. part. 3. de emphyt. ex. iunct. cap. 11. num. 10.*
- 18 Octava conclusio, si ejusdem rei duo sint domini directi, quorum unus vult investire, alius verò retinere; quamvis magna sit inter DD. pugna: vera tamen resolutio est, posse illum ex duobus dominis, qui investire recusat, uti jure prælationis pro parte sua, si tamen emptor nolit reliquas partes vel cæteras res habere, velitque illas domino jus prælationis exercere volenti remittere; cogatur dominus omnes recipere, & totum pretium emptori restituere. Giurb. *dec. 52. n. 8. versic. contrarium, iuncto versic. verum potest dominus.* Grimaudet in *tract. des retraiçts, lib. 1. c. 11.* plures allegat Grivel. *d. decis. 116. num. 2.* Ludovic. Bellus *consil. 136. num. 3.*
- 19 Advertendo tamen aliud esse, si ageretur de pluribus domunculis in unam magnam redactis, tunc enim semper duo diversa feuda, seu directa dominia remanent: ut notavit Giurb. *loc. citat. num. 8. versic. quia non de pluribus;* quia per conjunctionem plurium domuncularum non potuit fieri unio directorum dominiorum in præjudicium domini; & hoc casu verius esse censuit Giurb. *d. decis. 52. num. 20. in 5. conclusione,* unum ex pluribus dominis pro parte ad jus prælationis, seu retractus feudalis, admittendum; solutâ ratâ pretii parte, dummodo res commodam pariatur divisionem: & hoc verum est per rationes & jura *ibidem* allegata, ubi alia ad hanc materiam concernentia in medium adducit.
- 20 Nona conclusio, in casibus in quibus locus est juri prælationis, dominus directus retinens debet restituere emptori pretium per eum exbursatum: de laudimiis verò solutis non est quæstio, quia per receptionem laudimiorum, dominus se exclusisset à jure prælationis, ut supra dictum est: huic tamen de laudimiis restituendis quæstioni locus esset in casu 8. conclusionis, si unus ex dominis pro parte sua investituram concessisset, alio retrahere volente: quo casu, cum emphyteuta cogere possit dominum, ut etiam partem alterius condomini directi dominio subditam

retrahat; non solum pretium, sed etiam laudimia alteri domino directo soluta restituenda sunt, sicut & in quolibet alio retractu consuetudinario vel conventionali, pretium cum laudimiis per emptorem solutis rescindendum est: per text. in l. *debet 26 ff. de adilitio edito.* Debet enim emptor pecuniam recipere quam dedit, vel si quid accessionis nomine dederit: & in eadem l. *versic. quid ergo,* subjunguntur hæc verba: *Quid ergo si vestigialis nomine datum est, quod emptorem quoque sequereitur? Dicemus hoc quoque restituendum, quia indemnitas emptor discedere debet, & per illum text. ita tenet Tiraquel. de retract. convent. §. 6. glos. 2. num. 3.* Rota Aven. *decis. 26. §. 1.* ubi notabilis casus deciditur, nempe cum ex statuti Avenionensis dispositione, lib. 1. rubric. 72. artic. 31. si dominus directus requisitus de investiendo, retinuerit dies suos (qui sunt quadraginta ex dicto statuto) & lapsis illis diebus nihil dixerit, & postea requisitus intra diem non retinuerit, nec investituram concesserit, privatur tam jure retentionis, quam laudemio. Quæritur utrum hoc casu ille cui competit jus relucendi, teneatur rem volens dimere, non solum pretium, sed & laudimia restituere emptori. Et deciditur ibi, quod dominus redimens non tenetur emptori laudimia reddere, quia emptor illa non solvit. Boët. *decis. 231. num. 5.*

Secundo, debent restitui emptori canones emphyteutici, pro tempore præterito ante redemptionem, seu retractu persoluti: Bald. *consil. 403. in princip. lib. 1.* Tiraquel. *loco citato, nempe de retract. convent. §. 6. glos. 2. num. 21.*

Tertio, restitui debet emptori expensa instrumentorum per eum soluta Notariis. Chassan. in *consuet. Burgund. rubric. 10. des retraiçts, §. 1. verb. les frais raisonnables, num. 6.* Nam licet dum tractatur de solvendo pretio, seu mercede instrumentorum, expensa pertineat ad emptorem, apud quem instrumentum remanere debet pro probatione jurium suorum: tamen quia emptor restituit instrumentum retrahenti, talis expensa ipsi restituenda est: si verò extractum non solverit, indemnitas tamen servandus est erga Notarium, ut probatur per text. in dicta l. *debet 26. ff. de adilit. edito.* ita ut emptor à quo fit retractus, immunitas servandus sit tam ratione expensæ instrumentorum, quam eorum, quæ Notarius petere possit pro extractu tradito, vel tradendo, ut notat Tiraquel. in dicto *tract. de retract. convent. §. 6. glos. 2. num. 24.*

Quarto, restitui debent emptori, à quo dominus retrahere vult, sumptus & expensæ factæ pro mediatoribus & proxenetis: Glos. in d. l. *debet, in verb. erogatum est ff. de adilit. edito.* quamvis super hoc nonnulli dubium moveant ex verbis dictæ leg. *debet, hoc enim ita demum deducitur, si ex voluntate venditoris datur: cæterum si quid sua sponte datum esse proponatur, non imputabitur; neque enim debet quod quis suo arbitrio dedit, à venditore exigere, & per hæc verba videtur aliqua ratione Tiraquel. loco citato, quæstionem indecisam relinquere dicto §. 6. glos. 2. num. 22. nec non de retract. Consanguin. §. 29. glos. 4. num. 8. & cogitandum relinquit num. 10. Ego tamen verissimum esse censeo, quod etiam id quod in proxenetis expensum est, restitui debeat; cum satis dicatur ex necessaria causa solum, quod mediatoribus & proxenetis solum est; cum sine ipsis, utplurimum, contractus perfectionem habere nequeant: solum igitur procedit objectio, si quid ultra modum legitimum, similibus personis solum est: id autem etiam restituendum esse, ultra citatos à Tiraquel. ostendit Cyriacus *controverf. 611. num.**

num. 8. iuncto n. 2. versio. sed si quis ex contrahenti-
25 bus. Gratian. discept. forens. c. 343. n. 1. † Vbi etiam
dicit, restituendas esse expensas solutas pro subasta-
tione bonorum qui redimuntur, si sub hasta vendita
fuerint: qui tamen deinde num. 18. amplectitur ean-
dem resolutionem per nos superius allatam, videlicet
ut restituantur ea, quæ proxenetis iuxta morem &
consuetudinem loci data sunt, non quæ ultra legiti-
mum & consuetum modum; cum hæc causam ha-
beant necessariam, & proxeneta potuisset emptorem
cogere ad solvendum tale salarium: ut bene explicat
ibidem Gratian. n. 20. & 21. & ferè per totum illud
caput.

26 Quinto, restitui debent catenæ aureæ, vel munera
uxori venditoris data: ut dicit Tiraquel. de retract.
consanguin. d. §. 29. gloss. 2. n. 10. in fin. versio. sed si id
verum sit, maximè verò si id datum uxori fuerit, ut
ratificaret quæ aliqui venditionem ratificare nole-
bat. Tiraq. ibid. n. 11.

27 Sexto, restitui debet quod Galli nuncupant, le pot
de vin, hoc est munus quoddam quod datur illis, qui
faciliorem apud Dominum, aut alium, venditionem
reddiderunt. Chassan. in consuet. Burgund. tit. 10. des
retraits, §. 1. in verb. les fraix raisonnables, num. 5.
Gaill. lib. 1. observat. 19. n. 10. versio. 2. requiritur.

28 Septimò, expensæ factæ pro obtinendo consilio,
pro forma & securitate venditionis. Tiraq. d. §. 29.
gloss. 4. n. 12.
Denique restituendæ sunt per Dominum retrahere
volentem omnes meliorationes necessariae, prout
latè explicat Tiraq. de retract. convent. §. 7. gloss. 1.
per tot. & de his plura Censius in tract. de censib.
q. 66. n. 82. & multis sequentib. qui in casu occurren-
ti adiri poterit.

CAPVT XXIV.

Si feudi concessio facta fuerit pro se, & libe-
ris utriusque sexus; ita tamen ut stanti-
bus masculis, femina non succedat, sed
semper masculus primogenitus succedat,
mortuis omnibus masculis, & feudo ad
feminam devoluto, utrum post ejus
mortem succedat masculus ex femina
illa secundogenitus, ad exclusionem fi-
liæ primogenitæ.

SVMMARIVM.

- 1 Femina non admittuntur quandiu extant masculi,
si ita loquatur investitura.
- 2 Ampliatur ut procedat in feudo alicui concessio pro
se, & successoribus, tam masculis quam femi-
nis: quia femina admittuntur deficientibus
masculis, & non aliis.
- 3 Si investitura vocaret masculos cum feminis, uter-
que sexus admitteretur simul.
- 4 In investitura, in qua femina masculis deficienti-
bus vocantur, masculus remotior feminam
proximiorē excludit.
- 5 In feudis non attenditur proximitas eius à quo va-
cat feudum, sed eius à quo incipit.
- 6 Masculi remotior ex altero latere iunctus, exclu-
dit feminam proximiorē ex utroque latere
iunctam, quando femina deficientibus dun-
taxat masculis sunt vocata.

Tom. I. Pars II.

7 Exclusio matris non praiudicat masculis ab ea
descendentibus, licet veniant à radice infesta.

8 Femina semel admittitur ad feudum ob defectum
masculorum, si postea nascantur masculi, utrum
cogatur illis feudum dimittere. Quæstio est
controversa.

9 Feudum semel effectum femininum, non impedit
quin mortuæ feminæ, masculi preferantur.

10 Femina multò magis per masculos excluduntur in
feudo, ad quod ipsa masculis deficientibus vo-
cantur, quando concurrunt masculus, & fe-
mina paris gradus.

11 Existentibus feminis, nullique masculo, femina
admittitur: sed tamen interim natura feudi
obdormit, donec superveniat masculus, qui
saltem succedit, mortuæ feminæ.

12 Controversia magna est in successione feudi, quan-
do masculi descendentes ex feminis concu-
runt cum masculis descendantibus ex mascu-
lis, scilicet si cum ipsis feminis ad successionem
admitti postulent.

Insignis fuit anno 1633. & in Senatu Tholosano,
concordibus omnibus Senatorum votis, decisa
quæstio super successione feudi, in quo concessio fa-
cta fuerat investito pro se, & suis liberis utriusque
sexus; eà tamen conditione adjecta, ut stantibus mas-
culis femina non succederent, sed semper primoge-
nitus masculus ab investito descendens cæteris præ-
ferretur: defunctis quippe masculis omnibus, à pri-
mo illo acquiretore descendantibus, sola superstes
erat femina quæ successerat; hæc moriens unam re-
liquit feminam ex priori matrimonio, & sic primoge-
nitam, & masculum unum secundogenitum, quippe
ex posteriori conjugio in lucem editum. Femina feu-
dum ad se spectare asserbat, cum esset primogenita;
vocata etiam femina deficientibus masculis à primo
acquiretore progenitis, & jam feudum femineum fa-
ctum esset, quippe ad communem ipsorum progeni-
tricem devolutum. Masculus è contra, feminas non
nisi deficientibus masculis vocatas ex ipso infesta-
tionis tenore; ideo sororem quantumvis primoge-
nitam à feudi successione repellendam.

Ego masculi partes sustinui, & sententiam Domi-
norum Iudicium primæ instantiæ revocandam dixi,
prout factum fuit. † Ratio est, quia licet verum sit
tam ex tenore concessionis, feminas ad feudum illud
admittendas, quam ex juris communis dispositione,
deficientibus masculis, quando ita loquitur investitu-
ra: Alexand. conf. 29. n. 5. lib. 1. Curtius jun. conf. 140.
n. 2. Masfril. decis. 56. n. 2. † Quod etiam locum ha-
bet quando ageretur de feudo simpliciter concessio
pro masculis & feminis; tunc enim licet masculi ex-
cludant feminas, tamen deficientibus masculis ad-
mittuntur feminæ. Clar. in §. feud. q. 73. n. 4. † Nisi
fuiſſet facta concessio pro masculis cum feminis,
tunc enim conjunctim admitterentur: sed si pro mas-
culis & feminis, feminæ veniunt ordine successivo
post masculos: ut ibid. Clarus ostendit.

Atqui tēpore obitus matris quæ ultimo loco feu-
dum obtinebat, aderat masculus iste, quanvis secun-
dogenitus, qui propterea ex natura feudi & ex pacto
investituræ preferendus erat omnibus aliis feminis,
seu per virilem, seu per femineum sexum descenden-
tibus, quantumvis gradu proximioribus, etiam pro-
priae matri, prout consuluere Calderinus, & alii sex-
decim DD. apud Bald. conf. 137. per totum. vol. 2. † Quia
in feudis non attenditur proximitas respectu perso-
næ illius à qua vacat feudum, sed respectu proximi-
tatis illius à qua pactum & conventio feudi incipit.

E 2 Atqui